

quæ ita in effectum certi rerum ordinis influit, ut in eodem rerum ordine quo de sermo est, aliam sui causam, agnoscat priorem; exempli loco esto servus in familia. Sed neque hanc acceptionem hic attendimus. 3. *Causa prima* & secunda dicuntur ratione *dependentiæ* vel *independentiæ*, quo pacto causa prima est ea, quæ à nullo dependet, ab ipsa autem pendent reliqua omnia; secunda verò, quæ ita est causa, ut aliam causam agnoscat priorem à qua dependeat. Quæ definitiones cum per se sint faciles, nec operosa opus habeant explanatione, multis eandem dilucidandi opera in præsens supersedemus. Hæc ultima acceptio hujus est loci.

§. 4. Unicum hoc impræsentiarum adnotare juvat, dependentiam, cujus in utraque definitione mentio fit, tres gradus involvere: vel enim importat exigentiam alicujus ad rei productionem, vel ad ejus existentiam, vel denique operationem ejus. Ex quo fluit, tripliciter aliquid ab alio dependere posse, 1. *in tō produci*, seu quoad sui productionem, quod ita respicit aliud, ut sine ejus influxu fieri planè nequeat: hac ratione scrinium dependet à scriniario, sine hujus enim influxu scrinium nunquam conficitur, sed per eum esse suum nanciscitur, 2. *in existendo*, quod ita se habet ad aliud, ut sine eo esse seu existere non possit: h. m. secundum Peripateticos accidentia à subjectis, quibus insunt, dependent 3. *in operando*, quod sc. aliquo ita opus habet, ut sine eo agere seu operari non possit: hoc pacto causæ instrumentales dependent à principalibus, v. g. ferra ad hoc, ut secet requirit concursum causæ superioris nempe Architecti. Ex se enim ea virtute non pollet, ut in sectionem influere possit, sed ad hoc ut influat, exigit influxum principalis causæ. Quo circa observari velim, citra omne incommodum dici etiam posse, causas principales in operando ab  
in-